



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

De Henrico Rixoso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

functi postea corpus Imperatrix Adelaidis Catholico ritu terræ; animâ autem Deo summis pietatis officijs studiosè ac deuotè commendauit, quod idem V Vitikindus affirmat ibidem, & Ditmarus his verhis: *Quantum verò pro liberatione animæ senioris suimet Adelheidis Imperatrix inuigilauerit vsque in finem dictis non valet comprehendî, nec factis.* De cuius sanctæ fœminæ obitu idem Ditmarus lib. 4. *Adelheidis, inquit, Imperatrix urbem, quæ Olsa vocatur, interim ædificans, collectis ibidem Monachis, omnibusq; perfectis, in eodem anno 16 Cal. Ian gaudens opperit, cuius fideli seruitio iusta recompensas præmia Dominus, ad tumbam eius plurima hodie operatur miracula* Lamb. obitum illius refert ad annum sequentem.

## DE HENRICO RIXOSO.

SECUNDVS Regis Henrici ex S. Matilde filius fuit Henricus, qui prauorum suggestionem armâ contra fratrem Ottonem corripuit, vnde *Rixosus* appellatus est, sed victus, & pœnitens, non solum rebellionis meruit accipere veniam, sed & Lotharingiæ, ac post eâ quoque Bauariæ prouincias: fidusq; deinceps fratri Imperatori in perpetuum adhæsit militiæ comes, & victoriosus belli Dux, mortalem exuens vitam Ratisbonæ, An. Christi

955. sepultus in Ecclesia S. Haimerami. Huius propterea mentionem facio, quia avus fuit S. Henrici Imp. de quo suo loco.

DE B. BRVNONE, ARCHIEPI-  
SCOPO COLONIENSI.

\* Lib. 3.

**T**ERTIVS fuit Bruno, dignus S. Matilde filius, qui ipsam sanctitatem, & pietatem ex matris vberibus suxisse videtur. Intueamur itaq; personam, & videamus vitam eius. Is statu, & professione pastor fuit, & re, ac opere magnus Catholicæ veritatis doctor, *magnus, ut ait\* VVitikindus, ingenio, magnus scientia, & omni virtute, ac industria,* qui idcirco eam non solum vitæ exemplo, sed & verbi prædicatione Saxones, & multos alios, quod in viuis præstitit, optimè docere poterit. Vfus ille fuit ab ineunte ætate Balderico, Episcopo Traiectensi, & Israele Scoto, præceptoribus, quibus magistris & in doctrina, & in pietate egregiè profecit. Sacris initiatus, primum Abbas fuisse, & consedisse cum alijs Episcopis, & Abbatibus in synodo Viridunensi legitur apud Frodoardum in Chron. ad A. C. 947. lib. 4. c. 34. hist. Eccl. Rhem. postea electus, & consecratus, VVicfredo mortuo, Archiepiscopus Coloniensis, A. 953. Quo tempore statim ab ipso Legatos Romæ ad Papam Agapetum II. pro impetrando pallio, & Apostolica benedictione missos, narrat his